

III. Nocturni in Octava Nat. S. Joannis Baptistae, et in die pariter Octava Dedicationis Ecclesiae, siquidem alii dicant sumendas esse de II. die, alii de IV. die infra Octavam, quaeritur: quae certa indubiaeque regula servari debeat? Emi. itaque ac Rmi. P. . . . respondendum censuerunt:

„Servetur Rubrica peculiaris Breviarii Romani, adeo ut quando nullae Lectiones intra Octavam sint lectae, in die octava legantur ut in II. die: quando vero omnes fuerint lectae, in Octava erunt ut in Festo“.

Atque ita rescribere ac servandum omnino mandarunt. n. 4787 ad 5 die 27. Aug. 1835.

r) Missa.

I. In ipsa die Dedicat.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae* (Consecrator); *De Secreta Missae dedicat.* cf.: *Dedicatio Eccles. Omn.* (decr. n. 4749.)

Ubi nulla alia sit Ecclesia vel Capella Parochus aut Sacerdos celebret post peractam Consecrationem; sin minus ea die se absteineat a Missae celebratione et populus audiat Sacrum ab Episcopo decantandum; et missam non esse (a sacerdote) celebrandam de dedicat. Ecclesiae sed de feria vel de Sancto, prout descriptum fuerit in Calendario. n. 4400 ad 6 et 7 die 29. Julii 1780.

II. In Orator. Ecclesiae parochiali subjectis.

Ad dubium: An die Consecrationis vel Tituli Ecclesiae paroch. et non Cathedralis per octavas possit celebrari Missa Dedicationis vel Tituli sub eodem ritu dupl. ac in parochiali, etiam in Oratoriis eidem Ecclesiae paroch. subjectis, in quibus de facto multi Sacerdotes celebrant ut in parochiali? S. C. resp.: negative. n. 3814 ad 2 die 17. Aug. 1709.

s) Mutatio diei Dedicationis.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae et dies incerta.*

Ad dubium: Quaeritur, an Episcopus licite possit extra actum Dedicationis Ecclesiae immutare diem anniversarium dedicationis ejusdem, praecedenti decreto jam constitutum et confirmatum, eo quod experientia demonstravit Oppidanos parochiae non posse ad Ecclesiam convenire ob impedimentum illa ipsa die quotannis incidens? S. C. resp.: Negative n. 4735 ad 1 die 6. Sept. 1834.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Dies ipse, quisquis is sit, quo Ecclesia quaevis consecratur, verus est et proprius Dedicationis dies, et ipse dies, qui ab illius dedicatione primitus peracta singulis quibusque annis recurrit, proprius est et verus pariter dies anniversarius ejusdem dedicationis, eodem plane modo, quo dies Sancti alicujus natalis ille dicitur, qui ab illius ex hac vita in Coelum transitu in Calendario censetur: unde sicut dies natalis Sancti alicujus *ordinarie* non mutatur, ita nec dedicationis Ecclesiae proprius et verus recurrens dies in alium mutari nequit, nisi ab ipso Consecrante justa de causa, sed actu ipsius consecrationis; (verum hoc vere loquendo, non esset vera et stricta, et quomodo in dubio exponitur, mutatio, sed potius assignatio diei ab illo, quo Ecclesia consecratur, diversi). Itaque, extra ipsam consecrationem mutari dies dictus non potest, inconsulta Sede Apostolica, quae quidem difficillime et nonnisi gravissimis mota rationibus ad id concedendum inducitur, de quo unum vel alterum reperiri poterit exemplum. Si Decretorum S. R. C. seriem pervolvamus, inveniemus S. hanc Congregationem hanc mutationem pene semper

improbasse, et si quandoque concesserit ob peculiare rationes, semper etiam aliam mutationem prohibuisse, omnemque praecavisse, quae dari fortasse posset, Episcoporum nimiam libertatem, speciali apposita clausula. Ut res exemplis pateat S. R. C. facultatem quidem fecit Episcopo Recanatensi assignandi certum diem pro anniversario consecrationis Ecclesiae Cathedralis; at in casu particulari, a quo non infringitur universalis regula; hanc enim ei facultatem dedit, quia constabat quidem de Consecratione peracta, sed dies in ipsa consecratione assignatus pro illius anniversario ignorabatur; hac tamen apposita lege, quod certus dies electus amplius mutari nequiret; sic respondit sub die 12. Martii anni 1640. In una pariter Recanatensi simili ferme in casu supplicantibus PP. Societatis Jesu pro assignatione alterius diei ad celebrandum Consecrationis propriae Ecclesiae anniversarium per aliquot annos celebratum in die Pentecostes et postmodum intermissum, S. R. C. respondit (die 11. Nov. 1641): diem certum per Episcopum statuendum esse, sed addidit, *qui semel electus amplius non possit mutari*. Hic autem est advertendum, quod pro concessione, de qua hic agitur, peculiaris etiam occurrebat ratio, nam per aliquot retroactos annos consecrationis anniversarium in die Pentecostes celebratum fuerat, qui dies ex iis est, quibus ex Rubricis interdicitur omnis celebratio alterius Festi, atque ideo etiam celebratio anniversarii dedicationis Ecclesiarum, et per hoc ipsum est, quod hic alique hujusmodi dies pro Ecclesiarum consecratione minime sunt eligendi. Item in Bituntina reperitur S. R. Congregationem similiter respondisse, nam cum Capitulum exposuerit quod antiquitus ab immemorabili celebratum fuerit Officium Con-

secrationis Ecclesiae sub die 4. mensis Maji, et anno postmodum circiter 1679. Episcopus ad alterum diem, consecrato Altari majore ejusdem Ecclesiae, praefatum dedicationis Officium transtulerit, nempe ad diem primam Septembris *contra Decreta* S. R. C. et supplicavit (Capitulum) declarari, an dicta translatio deberet sustineri, vel potius remitti in praedictam diem 4. Maji, S. R. C. respondit *negative ad primam partem, affirmative ad secundam*. Ex quibus omnibus responsionibus, ut cetera omittantur, quae adduci adhuc possent, eruitur diem semel assignatam pro anniversario dedicationis Ecclesiarum celebrando mutari non posse, nec in facultate Episcoporum esse, inconsulta S. Sede, hanc mutationem inducere, ac proinde Sacram Congregationem, data ut supra responsione, leges et ritus sapienter statutos, et certis validisque principiis et regulis innixos voluisse tectos sartosque manere, pro quibus tuendis ipsa est constituta.

t) Nomen Sancti.

Vd.: *Imago non Titularis ponenda in altari collat.* (decr. n. 4793 nota).

u) Officium.

I. Obligatio Cleri saecul.

Vd.: *Dedicatio Eccles.* (non celebranda; Officium, a quo tempore etc.; quod?)

Archipresbyter nuncupatus Congregationis Ecclesiae S. Mariae Gratiarum Terrae Montis Tilotrani Dioecesis Auximanae dubitat: an Clerus dictae terrae posset vel debeat recitare Officium cum missa tam in die quam per octavam Dedicationis Ecclesiae matricis? S. C. resp.: Non teneri, nisi qui fuerint ipsius Ecclesiae servilio adstricti aut in eo aliquod Beneficium vel tenue possiderent. n. 4156 ad 1 et 2 die 16. Maji 1744.

Ad dubium: An festum dedicationis Ecclesiae SS. Annuntiatae Castris celebrari posse cum octava non solum a Sacerdotibus hebdomadariis aliisque Ecclesiae inservientibus, verum etiam a Confratribus ejusdem Confraternitatis in dicta Ecclesia erectae et an octavam tenere debere etiam omnes Sacerdotes tam saec. quam regul. ob populi concursum? S. C. resp.: Negative quoad Confratres praedictos caeterosque sacerdotes tam saec. quam regul.; posse tamen Sacerdotes dictae Confraternitatis et alios quoscunque ex mera devotione in dicta Ecclesia illius se festo conformantes missam Dedicationis Ecclesiae celebrare. n. 3393 die 11. Julii 1696.

Ad dubium: An Officium Dedicationis vel Titularis alicujus Eccl. Parochialis recitandum etiam sit in Eccl. vel Oratoriis subjectis?

Et S. eadem C. . . respondendum censuit:

„Juxta alias decreta a Clero Ecclesiae tantum“.

Atque ita rescribere censuit et declarare. n. 5152 ad 3 die 29. Martii 1851.

CAMERINEN.

Rmus. Camerinen. Archiepiscopus sequens Dubium quum proposuerit S. R. C., nimirum: An Parochi, qui intra limites Parochiales habent Ecclesias filiales, quarum servitio Clerus non adest, de ipsis Ecclesiis recitare possint Officium, pariter recitare de S. Titularibus earundem Ecclesiarum?

S. eadem C., referente infra-scripto Secretario, rescripsit: Negative. n. 4783 die 27. Aug. 1836.

Festum Dedicationis aliarum Ecclesiarum a Cathedrali, celebrandum est tantum in ea ecclesia, ubi consecrationis dies peragitur. S. R. C. 19. Aug. 1629.

De Titulo et Consecratione Ecclesiae partic. etiam paroch., quae non est Cathedralis, non debet fieri Officium in die neque per octavam a sacerdotibus, quando non sunt dictae Ecclesiae Titulati vel saltem per Residentiam ipsius choro adscripti, licet sub eadem parochia degant. S. R. C. 17. Aug. 1709 in *Bergamen*.

II. Obligatio Episcopi.

Cum praescriptum sit dicendum esse Officium de dedicatione Ecclesiae in ipso die consecrationis a Clero illius Ecclesiae, quae consecratur, dubium est, utrum Episcopus consecrans etiam non Ordinarius loci, debeat dicere idem Officium? S. C. resp.: Negative quoad praeceptum, poterit tamen, si velit, ex congruentia. n. 4181 ad 8 die 7. Maji 1746.

III. Oblig. Regularium.

Vd.: *Dedicatio Eccles. omn. alicuj. Ord.* (decr. n. 4941); *Titularis princip.* (non oblig. ad Off.; decr. n. 5042); *Titul. Eccles.* (Oblig. Regul. decr. 24. Jan. 1682).

Ad dubium: Utrum Religiosi Carmelitarum Discalceatorum sive aliorum Ordinum, qui quocumque die infra Annum omnium proprii respective Ordinis Ecclesiarum dedicationem celebraverint, possint et teneantur propriae quoque Ecclesiae dedicationem celebrare, quum in Hibernia II. Dom. Oct. dedicatio omnium Ecclesiarum Hiberniae a Clero Saeculari celebretur?

Et Emi. ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi. . . rescribendum censuerunt: „Juxta votum Magistri Caeremoniarum“:

„Negative“.

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt, die 16. Apr. 1842. n. 4941 ad 1.

Ad dubium: An Clerici Regulares S. Pauli civitatis Cherii teneantur

festum celebrare dedicationis Ecclesiae principalis ipsius civitatis Officio 2. cl. sine octava? S. C. Non posse Dedicationem Ecclesiae principalis Cherii celebrare. n. 4463 ad 2 die 21. Mart. 1795.

Ad dubium: An Regulares Dioecesis Verulanae teneantur recitare Officium Dedicationis Ecclesiae Veruli, quae occurrit die 1. Maji festo ss. Ap. Philippi et Jacobi? S. C. resp.: *Non teneri*. n. 3285 die 2. Aug. 1692.

IV. Quod?

Camaldulensibus Fanen petentibus: an die Dedicationis Ecclesiae eorum sub invocatione s. Salvatoris, quae simul occurrit cum Dedicatione Basilicae Lateran. pariter sub invocatione s. Salvatoris, diversum a dedicatione Basilicae Lateranens. Officium recitare teneantur? S. C. resp.: E Communi Dedicationis et Lectiones sumendas fore pro celebratione festi dedicationis propriae Ecclesiae et prima die secundum rubricas non impedita infra octavam ab Oratoribus recitandum esse Officium Dedicationis Basilicae Lateran. n. 1736 die 14. Novb. 1654.

Cum praeter propriae Ecclesiae dedicationem fieri debeat Officium Dedicat. Eccles. Cath., in Urbe cum octava, extra Urbem sine octava, quaesitum fuit: utrum extra Urbem in Ecclesia, quae propriam non habet dedicationem, fieri debeat octava Dedicationis Cathedralis? S. R. C. resp.: Negative. 10. Jan. 1693.

v) Probatio.

Consecrationem Ecclesiae probari concludenter ex signis deductis et signa probari per Testes *deponentes de visu*. n. 1001 ad 1 die 19. Aug. 1634.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae et dies Dedicationis incerta*.

w) A quo tempore celebrandum?

Vd.: *Dedicatio Eccles.* (Vigil.; decr. 4979, 4742 nota ad finem; Vesp. decr. n. 4490).

Ad dubium: Officium Dedicationis Ecclesiae particularis, quod ritu annuali cum Octava celebratur, debetne iam privatim quam publice inchoari a primis Vesperis pridie dedicationis cum Matutino ejusdem Festi, vel incipere tantum consecratione Ecclesiae facta, id est circumciter ad Horas minores? S. C. resp.:

„Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, et a Clero tantum servitio Ecclesiae strictim addicto“ die 23. Maji 1835 n. 4742 ad 1.

Incipiendum est Officium Dedicat. peracta Consecratione ab hora minori Tertia. S. R. C. die 7. Decb. 1844.

x) (Ecclesiae) restauratae.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae Cathedr.* (Translatio decr. n. 3755.)

y) Sepulchra.

Ecclesiae, in quibus Corpora mortuorum sepulta sunt, rite consecrari possunt, dummodo corpora sub altare majore sepulta non sint vel sub confessione, ubi Sanctorum Corpora et reliquiae s. locari debent. n. 326 die 7. Oct. 1608.

Cf.: *Altare* (super quo sunt cadavera etc.); *Sepultura* (juxta altare).

z) Tempus.

Ad dubium: an *post prandium* possint fieri reconciliationes et consecrationes, quas Pontificale rom. vult fieri ante prandium et jejunii? S. C. resp.: *Servari Pontif. roman.* n. 1632 ad 1 die 2. Mart. 1652.

aa) Translatio.

Vd.: *Epiphania* (octava); *Dedicatio Eccl.* (vesp. etc.) *Annuntiatio B. V. M.* (Off. de cr. n. 4528); *Lectiones in dedicat.*; *Dedicatio Ecclesiar. omnium etc.*; *Occurrentia*.

Festum Dedicacionis Ecclesiae paroch. de Caramb. celebrandum esse eo die, quo venerit, nec ob devotionem s. Joa. Bapt., eadem die cadentis, alterandam esse consuetudinem, sed devotioni satisfieri posse, celebrando duas missas, unam de dedicatione, alteram s. Joann. Bapt. n. 2472 die 23. Mart. 1669.

Quidam Fratres Capuccini, qui die 8. Sept. in festo Nativ. B. V. M. Officium et Missam de Dedicacione celebrare solent, petunt, ut eis liceat, hac die celebrare festum Nativ. B. V. M. cum commemoratione de Dedicacione. S. R. C. resp.: non esse ordinem adhuc servatum mutandum, sed festum Dedicat., cum sit ex solemnioribus, celebrandum esse ea die, qua venerit, cum commemorat. tamen Nativit. B. V. M. ipsa die et per totam octavam. Devotioni vero erga B. V. M. fratres satisfacere posse celebrando duas Missas Conventuales, unam de Dedicacione, alteram de B. V. M. n. 254 die 16. Oct. 1604.

Festum Consecrationis Ecclesiae cadens in *hebdomada majori*, fieri sine Octava juxta rubricas Breviarii romani. n. 782 die 20. Nov. 1628.

Festum Consecrationis Ecclesiae, cadens in *diebus privilegiatis*, ut in hoc casu est dies 2. Pentecostes, esse transferendum juxta rubricas Brev. romani. n. 1051 die 11. Maji 1638.

Festum Consecrationis Ecclesiae prius agendum ut dignius, festum vero Titularis transferendum in diem proxime sequentem. n. 972 die 15. Decb. 1632; n. 1842 die 15. Sept. 1657.

Moniales, exponentes festum Dedicacionis concurrere cum festo s. Ludovici, quod ab ipsis celebratur sub

ritu duplici, et cum octava s. Clarae, petunt translationem Dedicacionis. S. C. resp.: Si Ecclesia est *consecrata*, Officium dedicationis fieri debere ipsa die Dedicacionis; in reliquis servandas esse rubricas. n. 1012 die 9. Decb. 1634.

Ad petitionem: Ut S. C. confirmare dignaretur decretum Episcopi de celebranda dedicatione Ecclesiae Oppidi Rappelli die 6. Julii ob incertitudinem diei Consecrationis, licet modo de ea notitia habita fuerit ex authenticis scripturis, cum dicta dies Consecrationis coincidat in festo s. Bonaventurae a toto Ordine strictioris observantiae magna cum solemnitate celebrari consueto, S. C. resp.: Non suffragari decretum Episcopi, sed celebrandum esse in ipsa die, quando repertum fuerit Ecclesiam consecratam fuisse. n. 1605 die 13. Mart. 1649.

Ad dubium: Utrum, occurrente in *Dominica SS. Trinitatis* Anniversario Dedicacionis alicujus Ecclesiae liceat Sacerdotibus in eadem celebrantibus Sacrum facere de Dedicacione? S. C. resp.: in festo SS. Trinitatis quoad *missas* servandas esse Rubricas de translatione festorum; quoad *Officium* vero transferendum illud de Anniversario Dedicacionis et recitandum Officium de Trinitate utpote privilegiatum, ut in rubricis Breviarii de transl. festor. n. 1. In festis vero ss. *Apostolorum* quae celebrantur sub ritu dupl. 2 cl. et *similibus non privilegiatis* Officium et missam fieri de dedicatione et festum Apostolorum transferri ad primam diem non impeditam. n. 2873 ad 1 die 21. Jan. 1679.

Occurrente festo dedicationis Ecclesiae et festo *Apostoli aequalis ritus* fieri debet Officium de dedicat., translato festo apostoli. n. 4526 ad 9 die 7. Sept. 1816.

Dies Consecrationis potest transferri propter anniversarium in aliam diem

diversam ab illa, in qua facta fuit Consecratio, dummodo sit deputatus dies Anniversarii ab Episcopo in actu Consecrationis Ecclesiae. n. 2343 ad 3 die 19. Sept. 1665.

Dedicacionis festi mutationem spectare ad Consecratorem in actu consecrationis, adeo ut extra ipsam non possit amplius immutari inconsulta sede apostolica. n. 2873 ad 2 die 21. Jan. 1679.

Occurrente eadem die Dedicacione Ecclesiae cum festo ss. Ang. Custodum festivitatem ss. Angel. transferendam esse. n. 3175 die 4. Decb. 1688.

Guardianus Min. Reform. exposuit, diem festum dedicationis Ecclesiae Conventus s. Mariae Sabin. occurrere cum altero s. Caroli infra Octavam Omn. SS. cadente; supplicavit declarari:

1. An reliquis diebus octavae Omn. SS. praeferrere debeat Octava dedicat. Ecclesiae?

2. An dies festus s. Caroli transferri debeat ad diem sequentem?

S. C. resp.: ad 1: Praeferendam octavam Omn. SS. tamquam digniorem; ad 2: Festum s. Caroli transferendum esse juxta rubricas. (rubr. 10 de transl.) n. 3354 die 5. Mart. 1695.

Occurrente quotannis Festo Dedicacionis Ecclesiae Oppidi Orserii Civitatis Algeren cum Festo B. V. M. Immaculatae ejusdem Ecclesiae Titularis, Capitulum et Canonici Collegiatae praedictae, ut tam dictum Festum Titulare Conceptionis cum toto orbe celeberrimum, quam alterum Dedicacionis distinctis cultus et venerationis obsequiis et officiis celebrare possint, humiliter S. R. C. supplicaverunt pro facultate transferendi Festum Dedicacionis ad diem 21. mensis Augusti.

Et S. eadem R. C. respondit: „Lectum“ n. 3474 die 9. Julii 1698.

Capitulum Bituntinum exposuit: quod antiquitus ab immemorabili celebrat

Officium Consecrationis Ecclesiae sub 4. Maji et cum anno circiter 1679 Episcopus in altera die, quae ignoratur, consecrato altare majore, translulerit idem Officium Consecrationis ad diem primam Sept. contra Decreta S. R. C., demisse supplicavit declarare: an dicta translatio debeat sustineri vel potius remitti in diem 4. Maji? S. C. resp.: *Negative* quoad primam partem, *affirmative* quoad secundam. n. 3777 ad 1 die 1. Oct. 1707.

Dedicatio Eccles. occurrens cum festo Invent. s. Crucis, vd.: *Inventio s. Crucis*, (transl. de cr. n. 4044); *Occurrens cum festo ss. Cordis Jesu*, vd.: *Festum ss. Cordis Jesu* (transl. de cr. n. 4579 ad 1 et 4579 ad 2); *Occurrens cum festo Titularis*, vd.: *Titularis* (transl.; de cr. n. 1469; 1842); *Titularis* (fest. celebr.; de cr. n. 3795).

Cum festum Dedicacionis loci Trevisi saepius impeditur a festo ss. app. *Petri et Pauli*, supplicavit parochus pro translatione. S. C. resp.: petitam translationem Dedicacionis pro illis tantum annis concedendum esse, in quibus festum ss. app. concurrat cum dedicat. Ecclesiae. n. 4258 die 30. Aug. 1755.

Episcopus diem assignabit pro celebratione festi dedicationis Ecclesiae, si perpetuo occurrat Dedicatio in festis primae class. ac propterea esset transferenda. n. 4300 ad 2 die 3. Mart. 1761.

JANUEN.

Interdum, veluti hoc ipso vertente Anno, Anniversarium Dedicacionis insignis Colleg. Eccl. B. M. V. de Remedio in Civitate Januensi occurrit die 29. Jun., nimirum in solemnitate s. Apost. *Petri et Pauli*. Quum vero incertum sit quodnam ex duobus Officiis ritus dupl. I. Cl. cum Oct. transferri debeat, ex parte memoratae Eccl.

Capituli S. R. C. pro opportuna declaratione; sequentia exhibita fuerunt dubia, nimirum:

1. Quodnam ex duobus Officiis recitandum est die 29. Junii?

2. Ad quam diem transferendum aliud?

3. An Commemoratio S. Pauli Ap. remanere debeat die 30. Junii?

S. eadem C. ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitibus, postquam ad relationem Secretarii subscripti rite expendit eadem Dubia, rescripsit:

Ad 1. „De S. Apostolis“.

Ad 2. „Ad primam diem liberam juxta Rubricas“.

Ad 3. „Affirmative“.

Atque ita rescribere censuit, et servari mandavit. n. 5155 die 29. Martii 1851.

Ad dubium: Utrum in die *Octava Solennitatis Corporis Christi*, ubi celebratur cum privilegio ad instar Epiphaniae, faciendum sit occurrens Officium Dedicacionis vel Tituli propriae Ecclesiae?

S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Affirmative, uti duplex I. Cl.“. Atque ita rescribere censuit, et declarare. n. 5180 ad 9 die 25. Sept. 1852.

Ad dubium: Post novissima Decreta S. R. C., quae ad Officium Dedicacionis Ecclesiae referuntur, utrum in occurrentia ejus in Festo *S. Martyris, Confessoris, Virginis aut Viduae ritu et per omnia aequali*, recitandum sit de Dedicacione cum praeferentia, vel de Sancto?

Emi. et Rmi. P. . . . rescribendum censuerunt:

„Affirmative quoad primam partem: negative quoad secundam, et dentur Decreta“.

Atque ita S. C. rescripsit et ser-

vati mandavit. n. 5224 ad 2 die 14. Maji 1856.

bb) Vesperae.

Cf.: *Vesp. dimidiatae*.

Festo Dedicacionis Ecclesiae cadente in diem 16. Aug. *primae* Vesperae decantari debent de Dedicacione. n. 1309 die 23. Mart. 1641.

Ad dubium: An in loco consecrandae Ecclesiae Officium de comm. Dedicacionis Ecclesiae sit celebrandum a I. vesp. die praecedenti recitandis inclusive, seu potius inchoandum finita Consecratione in vesp. subsequentibus? S. C. resp.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam; et eo casu Vesperas, Matutinum, Laudes et horas Consecrationem praecedentes, recitandas esse vel de feria vel de Sancto, prout praescriptum fuerit in Ordinario. n. 4400 ad 4 et 5 die 29. Julii 1780.

Concurrentibus 2. vesp. s. Petri ad Vincula dupl. maj. cum 1. vesp. dedicationis Ecclesiae s. Mariae Angelorum Totum de sequenti cum comm. tantum de praecedenti. n. 2988 ad 1 die 13. Junii 1682.

Ad Dubia:

1. An sub die 27. Martii 1779 in una Ordinis Minorum Observantium ab hac S. R. C. emanaverit Decretum: quod si concurrant secundae Vesperae S. Matthaei Apostoli cum primis Vesp. Dedicacionis Ecclesiae Cathedralis, quae ab Regularibus celebratur sub ritu secundae classis, Vesperae debeant esse integrae de Dedicacione Ecclesiae cum commemoratione S. Matthaei Apostoli; ex quo Dedicatio Ecclesiae declarata fuit Festum Domini? Et quatenus affirmative;

2. An hujusmodi Decretum afficiat Ecclesiam universalem, id est, an omnes utentes Breviario Romano teneantur sese illi conformare?

3. An occurrens Festum Dedicacionis Ecclesiae, etiam sub ritu duplici minori, qualia sunt Festa Basilicae Salvatoris et Basilicae Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli cum duobus Festis ejusdem ritus dupl. min. vel dupl. maj., Festum Dedicacionis Ecclesiae, utpote Festum Domini, debeat habere integras easdem Vesperas cum commemoratione concurrentis dupl. maj. vel min.? Et quatenus affirmative;

4. An idem servari debeat in die octava Dedicacionis Ecclesiae ita, ut ex quo est Festum Domini, in paritate ritus habere debeat integras utraque Vesperas? S. R. C. respondit ad 1.: Affirmative; (vd. decr. n. 4157) ad 2. 3. et 4. Provisum in primo. n. 4426 die 10. Mart. 1787.

Ad dubium: In Ecclesia B. V. M. Assumptae Colancae occurrente festo Assumpt. B. V. M. in 2. vesp. cum Dedicat. Ecclesiae praedictae supplicatum fuit declarari, quid agendum? S. C. resp.: Totum de praecedenti cum comm. sequentis. n. 3556 die 8. Maji 1700; n. 4900 ad 4 die 12. Sept. 1840.

In Conventu Alcodii celebratur Festum Dedicacionis suae Ecclesiae die 9. Decemb.; quaeritur: quomodo Vesperae ordinandae sint in die 8. ejusdem Mensis; an integrae relinquendae Festo Dedicacionis cum commemoratione Conceptionis ut videtur, eo quod Festum Dedicacionis, declaratum sit Festum Domini in una Ordinis Reformatum 27. Martii 1779 ad 10.: etiamsi Festum Conceptionis celebretur in Hispania ex indulto festum de praep. quia Hispaniarum Patrona, ritu duplici primae classis cum Octava?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit ut infra:

„Affirmative“.

Et ita decrevit. n. 4488 ad 1 die 16. Sept. 1801.

Occurrente festo Dedicacionis Ecclesiae Congregat. Oratorii s. Philippi N. Cortonae cum 1. vesp. ss. ap. Petri et Pauli faciendum esse totum de digniori cum comm. minus digni, scilicet totum de dedicacione cum comm. ss. ap., quodque servandum est in praelatione Octavarum juxta rubr. generales, etiam occurrente in Dominica 5. p. Pentecosten. n. 4157 die 16. Maji 1744.

Ad dubium: Quomodo sint ordinandae Vesperae die undecima Julii, qua Ecclesiae paroch. anniversarium dedicacionis celebratur, in sequenti autem die occurrit festum Patroni civitatis et Protectoris princip. sub ritu dupl. 1. cl.? S. C. resp.: Vesperae in casu sunt dimidiandae. n. 4832 die 19. Maji 1838.

Vi Indulti pro reductione Festorum diei 9. Apr. 1802. Anniversarium dedicacionis omnium Ecclesiarum celebratur in Belgio in Dom., quae Octavam Festivitatibus omnium Sanctorum proxime sequitur, et quidem ritu dupl. I. Cl. cum Oct. juxta Rubricas.

Quaeritur: quomodo ordinari debeant Vesperae, quando Festum Patroni principalis Eccl. vel Loci e. g. S. Martini Ep. occurrit pridie vel postridie Anniversarii praedicti; an scilicet integrae persolvendae sint de Festo Dedicacionis cum sola comm. Patroni, vel an sit dimidiandae juxta Decreta S. R. C. 13. Mart. 1804 et 20. Sept. 1806?

Et S. eadem C. . . . respondeendum censuit:

„Integras esse persolvendas de Dedicacione juxta alias Decreta“.

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 4985 ad V. die 7. Decemb. 1844.

cc) Vigiliae.

Vd.: *Dedicatio Eccles.* (Officium; a quo tempore etc.); *Reliquiae* (in altari etc.)

Summo studio et cura quum invigilet Rmus. Cenoman. Ep., ut in omnibus, quae s. Functiones respiciunt, praesertim vero solemnem Ecclesiarum Dedicationem seu consecrationem, Rom. Pontificalis dispositiones sub omni respectu impleantur, propterea exorto quodam Dubio circa genuinum sensum horum Pontificalis verborum: „*Celebrandaque sunt Vigiliae ante Reliquias ipsas et canendi Nocturni et matutinae Laudes in hon. Sanctorum*“; dum nonnulli protuentur sententiam in hisce Vigiliis recitandum esse Officium de ipsa Dedicatione, licet Altaris solummodo peragenda sit consecratio, et incipiendum a primis Vesp. etiam in satisfactionem oneris Divini Officii, nonnulli econtra alterum defendunt consonum verbis Pontificalis: in Vigiliis scilicet Nocturni canendi in hon. Sanctorum per Psalmos et Officium de Communi, quin tamen hi Nocturni onus Divini Officii currentis excludant; S. R. C. enixe rogavit pro illius solutione. Emi. ac Rmi. P. S. Ritibus tuendis praepositi, in Ordinariis Comitibus ad Vaticanas Aedes subscripta die coadunati, ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. Joannis Serafini Pontificis, exquisito prius voto alterius ex Apost. Caer. Magistris scriptis pandito, praeloque cuso, omnibus attente consideratis, riteque librat, rescribendum censuere: „Juxta Votum Magistri Caer., nimirum: Juxta alias decreta praesertim in Mechlinien. diei 19. Julii 1780., et in Gratianopolitan. diei 23. Maji 1835: *Vigilias faciendas juxta Pontificale; Officium vero Dedicationis Eccl. non Altaris solum inchoandum esse peracta consecratione ab Hora minori Tertia*“.

Atque ita rescripserunt, ac servari mandarunt. die 7. Dec. 1844. n. 4979.

CENOMANEN.

Etsi Decreto hujus S. R. C. nuperim lato VII. Id. Dec. anni 1844 declarata fuerint Dubia a Rmo. Cenomanen. Ep. proposita quoad consecrationem Ecclesiarum; quum tamen idem Ep. comperiat ambiguitates adhuc oriri quoad qualitatem Officii seu Nocturnorum cum Laudibus in Vigiliis ante s. Reliquias in Altari reponendas persolvendis, nimirum: an Officium ipsum nominatim sumendum sit ex Communi Martyrum vel potius an celebranda sint Vigiliae per totam noctem, canendo vel recitando Hymnos, Psalmos aliasque preces; ac proinde iteratis precibus S. ipsam C. rogarit ut dilucidam regulam in praxi servandam sibi tradere dignaretur ad omnem disputationem praecedendam, ac rite intelligendum quid strictim praecipiant Pontificalis Rom. haec verba: „*Celebranda sunt Vigiliae ante Reliquias ipsas et canendi Nocturni ac matutinae Laudes, in honorem Sanctorum, quorum Reliquiae recondendae sunt: S. C. resp.: „Pontificalis verba in casu intelligenda esse, quod celebrentur Vigiliae cum Matutino, Laudibus, Hymnis, Canticis de Communi, cum simili Oratione de Communi, sine nomine expresso, quum non sint partes Officii diei*“.

Atque ita rescripserunt ac servandum mandarunt. n. 5008. die 14. Junii 1845.

Ad dubium: Pontificale Romanum expresse innuit, quod pridie dedicationis Ecclesiae Matutinum cum Laudibus canendum sit (ac proinde recitandum pro privatim dicentibus) de Sanctis, quorum Reliquiae reconduntur in vase ante fores Ecclesiae posito. Illud Officium obligatne sub gravi? Numquid eo die duplex Matutinum recitandum est unum de Sanctis, alterum de Dedicatione? S. C. resp.:

„Officium de Dedicatione: Vigiliae

juxta Pontificale ante Reliquias, de Sanctis“.

Atque ita rescripserunt, ac servandum mandarunt n. 4742 die 23. Maji 1835 ad 2.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Ritus reponendi Sanctorum Reliquias in altari consecrando vetustissimus est, et originem suam ducit ab ipsis Ecclesiae primordiis, cum super martyrum sepulchra erigebantur Altaria, et super his Sacrum peragebatur. De hoc ritu loquuntur quamplurimi tum antiqui tum recentiores libri Pontificales, codices M. S., Ordines Romani, veteres Ecclesiae Patres, et omnes fere Liturgici auctores; qui quidem ritus ad illa Apocalypsis verba referri videtur: *Vidi sub Altare Dei animas intersectorum propter verbum Dei.* Hoc autem valde est uniforme S. Augustini verbis, ex quibus eruitur congruum esse Sanctorum martyrum Reliquias in Altari reponere; ita enim ipse loquitur Sermone 37: *Convenienter autem, et quasi pro quodam consortio ibi martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur; scilicet, ut qui propter mortem ejus mortui fuerunt, sub Sacramento ejus mysterio requiescant.* Hinc est, quod Reliquiae Sanctorum, quae reponuntur, Martyrum esse debent, et plurium; et *solum permittitur* ut cum his Sanctorum Confessorum Reliquiae uniantur, illorum praesertim in quorum honorem vel Ecclesiae vel Altaria dedicantur; plurium autem Sanctorum Reliquiae ponendae sunt, ut verba Sacerdotis in prima Altaris deosculatone verificentur: *quorum Reliquiae hic sunt, sicuti etiam pars aliqua corporum reponenda est, non vestes aut quidquid aliud hujusmodi.*

Quemadmodum vetustissimus est memoratus ritus, ita pariter ab ipsa an-

Decreta authentica.

tiquitate in more erat, ut hae Sanctorum Reliquiae pridie vel Ecclesiae vel Altaris consecrationem sub pationibus apposite paratis, vel in aliqua proximiori Ecclesia ponerentur, et coram eisdem Reliquiis sequenti die in Altari recondendis vigiliae pie religioseque agerentur. In multis Pontificalibus primus qui occurrit ritus pro Ecclesiarum dedicatione est denunciatio Sanctorum martyrum Reliquiarum in Altari reponendarum ab Episcopo facienda, et vigiliarum *tota nocte* coram illis peragendarum. Non inopportuna videtur nonnulla hic referre. In Pontificali MS. Egberti Archiepiscopi Eboracensis anni CM. enunciata prius repositione Reliquiarum, haec scripta reperiuntur: *Inde vero pridie quam consecratur Ecclesia providendae sunt Reliquiae ab Episcopo et ponendae in tali loco, actota nocte cum hymnis et laudibus atque luminaribus sint, usque quo exinde lebantur, deducantur.* Hunc ipsum ritum memorat Pontificale M. S. Ecclesiae Cadurcensis: *Ponuntur Reliquiae in feretro compositae in altera Ecclesia pridie quam nova Ecclesia consecratur, et fiunt ibi vigiliae in ipsa nocte in honorem Sanctorum, quorum Reliquiae condendae sunt.* Eadem Ecclesiae praxis erat saeculo IV. circa has vigiliis, uti discimus ex S. Ambrosio, qui epistola 22 ad Marcellinam Sororem ita scribit (de Basilicae Ambrosianae dedicatione): *Qui multa condidimus integra ad ordinem. Transtulimus vespere jam incumbente ad Basilicam Faustae, ibi vigiliae tota nocte, manus impositio, sequenti die transtulimus ea in Basilicam quam appellant Ambrosianam.* De hoc ritu multa habet S. Gregorius Episcopus Turonensis, narrat enim ipse *lib. de gloria martyrum* cap. XXXVI., quod ipse dedicaturus Ecclesiam S. Juliani